

*Ad futuram rei memoriam.* Passiones miserabiles Terre sancte, in quibus viscera nostra per debite compassionis affectum multi doloris acerbitate torquentur, ab olim interne pietatis oculis intuentes apostolici pectoris studia indefesse convertimus ac vias et modos exquisivimus diligenter, ex quibus ei posset de opportuni succursus auxilio provideri. Et tandem illius, qui Terram ipsam proprio sanguine pretio salutis nostre perfudit, propitiante clementia in concilio Viennen. eodem approbante concilio in ipsis Terre, que peculiaris preclari nostri Salvatoris hereditas est, in qua celi regem Virgo puerpa genuit, quam etiam Redemptoris nostri pretiosissimus crux pro humano generis redemptione perfudit, in qua ponit meruit sepulcri dominici fundamentum et quam resurgens Christus a mortuis resurrectionis gloria multipliciter illustravit, succursum generale passagium duximus ordinandum, ad quod cum nostris operante illo, cuius negotium agebatur, qui animos regum et principum, prout et quando vult, devotionis igne succedit ad salubrium exercitium actionum, carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Francorum, Eduardi Anglie et Ludovici Navarre regum illustrium et dicti regis Francorum aliorum filiorum et fratrum concurrentibus votis et animis, ipsi et quam plures alii duces, comites et barones, nobiles et potentes ad vindicandas nostri Redemptoris iniurias ad liberandam Terram sanctam de Agarenorum manibus, que peccatis exigentibus nunc eorundem pollutis pedibus conculcatur, necnon et pro suorum remedio peccatorum se transituros in dicta Terre sancte subsidium in eodem passagio per votum assumpte Crucis specialiter obligarunt. Set prothdolor versutus hostis humani generis, evensor bonorum operum et callidus procurator malorum, quiique ardentes in Dei servitio et Deo familiariores latenter magis impugnat mille habens modos nocendi, querundam Crucesignatorum et aliorum, qui ad procurandum homines, arma, expensas et equos pro dicto passagio faciendo deberent esse solliciti et intenti, animos ad procurandum contrarium sub quadam probitatis improbande specie fallaciter inclinavit. Cum enim in torneamentis et iustis, que interdum in aliquibus partibus fieri solent, multa pericula imineant animarum, necesse hominum, consumptio pecuniarum et equorum destructiones plerumque contingant,

nemini venit in dubium sane mentis, quin illi, qui torneamenta faciunt vel fieri procurant, impedimentum procurent passagio faciendo, ad quod homines, equi et pecunia et expense fore necessaria dinoscuntur, propter que et quoniam huiusmodi torneamenta sunt cum gravis pene adiectione a nostris predecessoribus interdicta, quin etiam in faciendis iustis predictis, que tabule rotunde in aliquibus partibus vulgariter nuncupantur, eadem dampna et pericula imminent, que in torneamentis predictis et ideo circa eas idem ius statuendum existit, ideo universis et singulis per Francie, Anglie et Alemanie regna, Burgundiam imperialem ac comitatum provincie Viennen. et Bisuntin. provincias et contigua, circumvicina et adiacentia partes, terras et loca constitutis, in quibus vel aliquibus earundem frequenter torneamentorum et iustarum predictorum consuevit usus haberi, cuiuscunque conditionis, status vel preminentie fuerint, auctoritate apostolica districte precipimus et inhibemus expresse, ne torneamenta seu iustas huiusmodi in dictis regnis, provinciis, partibus, terris et locis de cetero facere vel exercere presumant. Nos enim in omnes et singulos de dictis regnis, provinciis, partibus, terris et locis torneamenta seu iustas predicta contra huiusmodi mandati et inhibitionis nostre tenorem facere vel exercere quomodolibet presumentes necnon et in eos, in quorum terris vel districtibus seu locis illa fieri contigerit, non prohibentes, si possent, ac in eos, qui huiusmodi torneamenta seu iustas facientes seu facere volentes et propter hoc ad locum torneamenti seu iustarum huiusmodi accedentes eundo et stando in dominibus suis scienter receperint, ipsis equos, arma vel expensas vel quevis alia subsidia pro hiis faciendis ministraverint vel cum eisdem super hiis aliquod commercium inheritint, excommunicationis sententiam promulgamus et terras ipsorum ecclesiastico subicimus interdicto, absolutionem ab excommunicatione predicta, preterquam in mortis articulo sedi apostolice reservantes, omnes confederationes, colligationes, pactiones, promissiones et obligationes factas super hiis, et quas fieri contigerit in futurum, sub quacunque forma seu modo vel expressione verborum, etiam si essent iuramentis vel quibusvis aliis penarum adiectionibus roborata, exnunc irrita decernentes. Nulli etc., nostri mandati, inhibitionis, promulgationis, subiectionis, reservationis et constitutionis. Dat. in prioratu de Grausello etc., XVIII kal. oct., anno octavo.

Clément V : La bulle "pasiones miserabiles" Regestum Clementis papae V,

1888, p. 452-53)